







**Brevis descriptio artificiosi cuiusdam horologii astronomico-geographicci, quod globi terrestris, duorumque coeli luminarium majorum, solis nempe ac lunae, circumrotatione, motum primum ac secundum, juxta longitudinem, ut vocant astronomi, omniaque eorum phoenomena ob oculos ponit**

<https://hdl.handle.net/1874/353296>










STICHTING  
UTRECHTS  
UNIVERSITEITSMUSEUM

GERHARDI MUTHI  
ARTIFICIOSUM  
ASTRO-GEOGRAPHICUM  
MOBILE NOVUM



C II MUT I HODD

BREVIS DESCRIPTIO  
ARTIFICIOSI CVM USDAM  
**HOROLOGII**  
ASTRONOMICO.  
GEOGRAPHICI.

*Quod*

Globi terrestris, duorumq;

Cœli Luminarium majorum, Solis nempe  
ac Lunæ, circumrotatione, motum primum ac  
secundum, juxta longitudinem, ut vocant

Astronomi, omniaque eorum

Phœnomena

Ob oculos ponit.

*à*

**GERHARDO MUT,** Automato-

pæo Mæno-Francofurtensi confectum,

Et in exoticorum usum in Latinum idioma

Translatum

*à*

Martino Balthasar Plusio. Giess.

---

*NORIBERGÆ.*

*Sumptibus PAULI FÜRSTI* Viduæ

& Hæredum.

*Typis Christophori Gerhardi.*

Anno M DC LXXIII.

Which is before us in the first place.

And we have seen it in the second place.

So that we have seen it in the third place.

Thus we have seen it in the fourth place.

Consequently we have seen it in the fifth place.

Even though we have seen it in the sixth place.

Resulting in the seventh place.

So that we have seen it in the eighth place.

Thus we have seen it in the ninth place.

Which is before us in the tenth place.

ILLUSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
**DE GRAVEL,**  
Domino de Marly & de Voëure,  
Ordinis Sancti Michaëlis Equiti, & Sacrae Regiae  
Majestatis Christianissimæ Consiliario Status,  
& in Comitiis Ratisbonensibus Plenipo-  
tentiaro &c.

*Domino meo gratioſiſſimo.*

**N**on hodie demum Illuſtr.  
Domine, diversæ illæ Ptolomæi, Ty-  
chonis Brahe, & Copernici, de motu ſi-  
ve cœli, ſive terræ, diſſenſiones, & Contentiones,  
Aſtronomiæ Culoribus iñotuere: Lis erat invete-  
rata, desperabantq; ja Mathematicorum nō infimi,  
hanc ſuorum Principum discordiam defuniri poſſe.

Cum ergo modo ab hac ad illam, ab illa modo  
ad hanc rurſus de ventum fuerat opinionem, prout  
unumquemq; ſua trahebat voluptas; interq; perito-  
tos etiam ambigebatur, cur tandem ex illis, quippe  
qui nimis ab invicem diſtabant, victoriæ palma  
eſſet exhibenda.

) : ( 2

Ego

Ego in tanta Dissensione in nullius sententiam discedere, sed M E D I U M quoddam proportioni Astronomicæ congruū excogitare annitens, vi am invenisse mihi persuasum habeo, per quam Repugnantes prædictorum Mathematicorum Altercationes conciliari possunt.

Postquam etiam per omnium Mathematicorum Philosophorum animos hæc pervasisset Opinio, quod in motione Astronomica motus ille esset optimus, qui facillimus, faciliorem invenire non potui, quām hunc ipsum, qui Firmamentum quidem stare, firmum & fixum persistere, cuncta verò reliqua intra firmamenti concavitatem contenta, inquieto motu moveri, circumagitari, & unumquodq; corpus secundūm proportionem suam certo quodam cursu ac labore occupari demonstraret:

Hanc meam Thesin, quæ præsenti opusculo planius atq; plenius explicatur, & in effectu ipso ad oculum à me demonstratur, licet ea non paucis eò majori admiratione consideranda, & forsitan explodenda videatur, quia motum omnium mobilium corporum sinistrorum, & ab Occidente versus Orientem exhibet, tuo tamen, Illustrissime Domine, Patrocinio, humillimo devotionis cultu comitare,

—••:(o):•—

tere, Tibi dedicare, atq; consecrare volui, quia Illustrissimæ Generositatis tuæ Domini Fratris, Domini mei obsequiosa etiam Veneratione semper prosequendi, jussu atq; authoritate lucē aspicere gestit.

Tu verò Illustrissime Domine, munusculum hoc levidense servi Tui, serena fronte suscipe, & quamvis gravissimæ, sacræ Regiæ Majest. Christianissimæ, quibus nullo non ferè momento occupatus es, Expeditiones à Lectione Te detineant, Curiosæ tamen Generosi Domini Filii Tui menti, quam optimè commenda, meq; porrò Clementissima favoris Tui aura aspirare non desiste.

Id eò confidentius oro, eò facilius mihi promitto, quo majori atq; propensiōri Tu omnes Artifices amplecti soles amore, quo nunc in Tua adeò ab omnibus bonis desiderata absentia Francofurtum nostrum carere cogitur. Vale Illustrissime Domine, & in seros annos felicitate, Dignitatibus atq; Virtutibus tuis digna, fruere. Dabam Francof. Idibus Febr. 1673.

*Illustrissimæ Tuæ Generositat.*

Servus devotissimus

Gerhard Mut.



## PRO O E M I U M.

Amico Lectori, Mathematicarum & præsertim  
Geographicarum & Astronomicarum scientia-  
rum fautori ac studioso.

S.


§. I.


**N** nomine Trinunius, qui cuncta, dicente li-  
bro Sap. 11. v. 21, numero, pondere ac mensura dispositus, Te non  
latere debet; Hic Francofurti ad Mænum artificiosū quendam  
Automatarium, antedictarū scientiarum & artium amatorem, nempè  
Gerhardum Mut, inter alia, secundū Copernici pariter ac Tychois Hy-  
potheses elaborata, & jam transmissa partim ac vendita Magnatibus &  
vilioī etiā conditionis hominibus automata Horologia & alia artificio-  
sa opera, & nunc etiam ingeniosum quoddam Horologii perfecisse, quod  
semel dispositum, per totū oētidū vel ultra etiam, continua circum-  
gyratione, duorum luminarium majorum, Solis & Luna, motum com-  
munem seu primum & diurnum, qui viginti quatuor horarum spatio  
absolvitur, simul cum motu eorundem secundo seu proprio & anno,  
accuratissimè, quantum quidem in tali opere minori sperari potuit, ob  
oculos ponit & designat.

§. 2. Quoniam verò motus iste geminus non ab omnibus eadem ra-  
tione doceri soleat; Opera pretium erit, de Hypothesibus Astronomorum  
paucā, & quantum quidē in hujus operis descriptione, jam sepius à plu-  
ribus & præsertim Patrono quodam horum studiorum magno desidera-  
tā premittere; Deinde etiam quam Autor hujus Operis Astronomico-  
Geographicī imitetur, ostendere. Secundō fabricam & constructionem  
hujus automatis describere: Et tandem etiam tertio usum & utilita-  
tem ejusdem docere.

§. 3. Triplices igitur hujus descriptionis divisio, totidemq; capita con-  
stituentur. Primum Hypotheses Astronomorum, & inter easdem etiam  
authoris. Secundum fabricam & constitutionem Machina. Tertium  
usum & utilitatem continebit.

CAP.







## CAPUT I.

De

*Hypothesibus Astronomorum, & inter  
illas etiam Autoris.*

§. I.

**S**I Rhætici & Rami sententiam h̄ic audi-  
re vellemus, ea, quæ sequuntur, uno ore,  
non tantum rei præsenti, verum etiam to-  
ti Astronomiæ, exiguae utilitatis imò inutilia omni-  
nō judicarent ; Siquidem Ægyptii longè facilio-  
rem & procul dubio perfectiorem stellarum cogni-  
tionem habuerint, quam nos hodiè habemus ; Cum  
nobis, sicut in aliis disciplinis & artibus, ita & h̄ic  
in specie sit exclamandum : **O quantum est, quod  
nescimus !** & præterea etiam Hypotheses istæ  
Intellectu & apprehensi in se satis sint difficiles. Ve-  
rum enim vero, quemadmodum nobilis ille *Tycho*,  
in Astronomicorum suorum scriptorum capite pri-  
mo, mediantibus Opticâ & duabus ejusdem alis,  
( Arithmeticam intellige & Geometriam,) qua-  
rum ope homo ad terram aliâs ordinatus eidemque  
adhærens, ad cœlum usque, dicente Philosopho

A

Plato-

*Platone*, volitat, & naturæ secreta scrutatur, immotis & certis argumentis hypothesis Astronomica-rum usum & necessitatem per totam Astronomiam demonstrat, ut & *Phænomena cœlestia* sine earundem cognitione nec doceri, nec ad certam scientiam redigi posse ostendit: Ita etiam utrumque, & præser-tim illud, quod huc spectat, semetipsū in subsequenti-bus facile probabit. *Rhetici* proinde ac *Rami* ar-gumenta, quæ hic objicere solent, negligo; Quorum posterius à vulgo etiam per communiora ista Prover-bia: *Difficilia que pulchra; & Omne principium grave*, ut & per exempla Alphabetariorum, in addi-scendis primis literarum elementis, refutari potest; Prius verò nulla ratione probari poterit. Hisce proin-de nil sufflaminati, telam nostram incœptam perte-ximus.

## §. 2.

Et quoniam cuivis in hac scientia incipienti co-gnitum est, varios esse Astronomos, quorum Hypo-the-ses jam in his, mox in illis discrepent, exque ut pluri-mum sint contrariæ, omnes earundem Patronos, va-rietas causas & alias affectiones hic adducere vel-le, non solum prolixum, verum etiam contra propo-situm foret; Solummodo hoc notamus in præsenti; Omnes Astronomorum Hypotheses vel esse de situ corporum in mundo, & præsertim de quatuor isto-rum

rum in instrumento nostro exstantium, firmamen-  
ti nempe, sive primi mobilis instellati, Solis, Lunæ  
& terræ; vel etiam esse de motu & circumgyra-  
tione eorundem.

§. 3.

Sicut proinde quatuor dictiorum corporum  
quod attinet, in duas hic potissimum Astronomi senten-  
tias abeunt. Prior terram ponit in centro vel penè in  
centro mundi, supra hanc Lunam, deinde Solem, tan-  
dem primum mobile; neglecto reliquorum huc non  
spectantium corporum situ. Posterior Solem transfert  
in locum terræ, post hunc collocat terram cum Luna  
conjunctionem, & tandem primum mobile. Priorem  
defendit *Ptolomæus* & *Tycho* cum multis aliis, qui  
licet in aliquibus dissentiant, in praesenti tamen omni-  
nō conveniunt. Posteriorem assumperunt *Coperni-  
cus* & *Keplerus* cum asseclis suis. Inde etiam illa  
*Ptolemaica* & *Tychonica*, haec vero *Coperni-  
cana* & *Kepleriana* (à præcipuis videlicet Autori-  
bus) Hypothesis denominatur.

§. 4.

Quod concernit motum; primò ab omnibus con-  
ceditur, hic motum circularem sibi semper æqualem  
intelligi, eundemque semper uniformem esse, licet no-  
bis aliquando dispar & inæqualis ex variis causis appa-  
reat. Præterea notum etiam est, motum circularem  
esse

esse vel A. *Vertiginis* seu gyrationis, qui fit tantum circumagendo corpus in circulo circa suum centrum, quemadmodum spastus Trochlearum circa suum clavum movetur, corpore in eodem spatio manente; vel B. *Translocationis* seu meationis, ut vocant, qui fit meando ab uno loco ad alterum, qua ratione globus in terra ab uno loco in alterum movetur, vel etiam ipse homo uno spatio relictio ad alterum se confert. Motus A variis nominibus in Astronomorum scriptis vocatur, vel etiam dicitur Motus

1. *Primus.* Quoniam quasi primus omnium in oculos incurrit, & ab omnibus primo consideratur.

2. *Diurnus.* Quia unius diei naturalis vel viginti quatuor horarum spatio, à corporibus Astronomis cognitis perficitur.

3. *Communis.* Ideò, quia motus iste omnibus, vel ad minimum pluribus mundi corporibus competit. Sive id fiat verè, sive secundum apparentiam tantum, à causa vel externa vel interna.

4. *CSS. i. e. Contra signorum seriem.* Si quidem dictorum corporum motus non juxta signorum Zodiaci seriem, id est, à principio V ad V, ab hoc ad II, & sic deinceps, sed potius contra, à II ad V, ab hoc ad V &c. absolvitur, vel absolvit, fitque ab Ortu ad Occasum.

Motus

Motus B totidem etiam denominationes habet, sed priori oppositas, inde dicitur

Motus 1. *Secundus.* Quoniam non primò, sed post primum demum observatur.

2. *Annuus.* Quod intra tempus annum, cuius corpori proprium, absolvi solet, inde etiam

3. *Proprius* dicitur, quia cuivis proprie & specialiter competit.

4. *SSS. id est, Secundum seriem signorum,* in Zodiaco videlicet extantium, ex V in ♈. ♉. ♊. & sic porro, ac proinde ab Occidente ad Orientem, circa axem Zodiaci, sicut ille circa Aequatoris. Alias denominations iam taceo.

§. 5.

Hicce nunc ita præsuppositis, Tres potissimum inveniuntur de motu sententiae diversæ.

§. 6.

*Prima*, Globum terrestrem omnino immobilem, Solem verò, Lunam, & primum mobile circumagi & moveri statuit: Ut ita terræ neque motum A descriptum, neque B ullo modo attribuat, Lunæ verò & Soli utrumque; primo mobili autem A solùm adscribat. Ita quidem, vel, ut alter in Luna & Sole ab extrinseca, alter verò ab intrinseca causa producatur. Sicut accidit homini innavi existenti, quando in diversam, quam navis vergit, plagam ambulat, qui motus ex propriis viribus oritur, à navi verò simul, tanquam ex-

trinsecā causa, abripitur. Vel ut uterque ex propria natura & connatis viribus procedat. Quemadmodum, si homo supernè desilit, duo motus in illo ex propria natura producti reperiuntur, prior est, secundum quem, ex naturali corporis gravitate, deorsum ad centrum tendentiae, ut vocant, descendit, alter est, juxta quem à perpendiculari ad latus abit, & transversaliter deorsum movetur.

## §. 7.

**Secunda.** Mobile primum immobile dicit, Soli verò motum vertiginis attribuit, non quidem talem, qui in oculos omnium incurrat, & facile à quovis notari possit, quique, reliquis stellis communis, viginti quatuor horis ab Ortu ad Occasum secundum Äquatorem C S S absolvatur; sed talem potius, qui circa centrum ejus fiat, nec oculis observari, sed ratione etiam argui possit, quiq; certo quidem, nondum tamen determinatè cognito, tempore à Solo & hunc in modum S S S. perficiatur, dum reliquos Planetas, (inter quos terram quoq; computare solent,) prout longius vel proprius ab ipso distant tardius vel citius Magnetis instar trahendo secum circumducat. Terræ contra ut & Lunæ utruinq; motum A & B adscribit, ita, ut terra singulis diebus, vel viginti quatuor horis motum primum A, secundum verò B anni Solaris tempore, circa Solem in proprio ejus circulo, Luna verò

verò circa terram menstruo , circa Solem cum terra conjuncta annuo spatio , absolvat.

§. 8.

*Tertia* medium quasi inter duas priores §. 6. & 7. recensitas assumit , & primum mobile nullum agnoscit , sed omne , quod supra firmamentum & stellas fixas ponitur , immobile , terram contrà , Lunam & Solem moveri dicit ; Hac ratione ; ut terrestri globo motum A , cum illis in §. 7. Soli vero & Lunæ , cum illis in §. 6. motum B. adjudicet ; hisce cum observationibus : ut terræ motum A ab Occidente ad Orientem , S S S , secundum Äquatorem velejus axem tribuat , Solem verò & Lunam in eandem quidem plagam , sed secundum Zodiaci ductum , vel circa ejusdem axem moveri existimet : Inde in terra existentibus apparere dicunt , quasi firmamentum simùl cum stellis tam fixis quam erraticis ex Oriente in Occidentem feratur . Quemadmodum in navi existentes , dum elevantur ab aquæ fluctibus , littus subsidere putant .

§. 9.

Primam sententiam §. 6. indicatam defendunt illi , qui §. 3. priorem de situ opinionem fovere dicebantur . Secundam verò , §. 7. expositam , illi , qui dicta §. 3. posteriorem de situ apprehendere nominabantur . Tertiam tandem §. 8. expositam Longomonta-

montanus & alii : Prolixius de hisce hinc inde videantur Ptolemæus, Copernicus, Tycho, Keplerus, Longomontanus, Origanus & plures alii.

## §. 10.

Certum equidem est, quamlibet sententiam omnia cœli phænomena satis evidenter demonstrare. Et unamquamque porrò argumenta, partim probabilia, partim certa, pro se & contra oppositam adducere posse ; Tandem quoque neminem esse cogendum ad hanc vel illam sententiam amplectendam, & nisi hoc faciat, pro hæretico declarandum esse. Siquidem hodie, per gratiam Dei, non vivimus illa ignorantiae tempora, in quibus illi, qui sententias quasdam, fidem nil attingentes, non secundum vulgi mentem docebant, (e. g. in mundo existere antipodes,) hæretici vocabantur, & tanquam carcinomata ab Ecclesiæ communione excludebantur. Attamen negari quoque non potest, unam præ altera minus habere difficultatum, indeque cœli apparentias facilius, clarius, aptius, & certius etiam ostendere & manifestare posse.

## §. 11.

Quoniam igitur Sententia Tertia de Motu §. 3. indicata, & prior de Situ, in eadem §. descripta, cum sana ratione maximè convenient, illi etiam omnes in §. præcedentis fine recensitæ proprietates, ex judicio

cio celeberrimorum ac doctissimorum Astronomorum, competunt : Tandem etiam Autor praesentis, ex propria experientia, in elaborandis diversarum Hypothesium machinis, idipsum observavit. Hisce rationibus, ut & pluribus aliis in Astronomorum scriptis hinc inde annotatis, pro hac & contra reliquas sententias, argumentis, autor commotus, illam ipsam amplexus est. Nec infirimum etiam fundamentum se habere putat, quod vocabulum illud, רקי in translatione Germanica Sacri Codicis Lutheri, ut & aliorum, per firmamentum reddatur : Deinde etiam quia sacram Scripturam aut omnino non habeat contrariam, vel ad minimum non in tantum, in quantum oppositae sententiae §. 7. recensitae discrepantein. Siquidem firmamentos & aliis stellis motus suus relinquatur, ut ita verbi divini veritas facile sarta tectaq; maneat. Hujus ergo intuitu, secundum istam Hypothesin, dictam in Præmii §. 1. machinam sequenti modo composuit.



## CAPUT II. De *Fabrica, Natura & Constitutione Machine.*

§. I.

**P**rimo globum terrestrem communem, editionis  
Blaeuianæ assumpsit Autor hujus Horologii, cu-  
**B** jus

jus tota diameter dimidium pedem absolvit, hunc fulcro pedamenti lignei duplo majoris imposuit, ex cuius ora vel in margine latiori quatuor scapi demissi sunt, hisce subjicit duas diametros decussatim sese secantes, sub istis pendet discus orichalceus cum affixo automate, quod viginti quatuor horarum spatio semel rotatur; Globi terrestris situs talis est. Æquator cum margine lato coincidit: Polus borealis vel Arcticus Zenith, vel punctum verticale obtinet, Polus vero Australis vel Antarticus, Nadir vel punctum pedale centro, diametrorum sese secantium, insitit. Inde apparet situm globi esse parallelum; & factum hoc est ea de causa, quo motus ab automate inferiori promanans, in supera cōminodius & facilius operari possit.

## §. 2.

Circa globum istum terrestrem subtilem quendam circulum orichalceum applicavit, ita, ut secundum Poli elevationem Francofurtensem ad Moenum Horizontem determininet; si tamen sub alterius cuiusdam Poli elevatione instrumento cuiquam uti libuerit, circulum facile demere, & pro lubitu globo circumdare poterit.

## §. 3.

Post hunc adhibuit etiam Meridianum orichalceum, eundemque, (quemadmodum in omnibus tam cœlestibus quam terrestribus globis fieri consuevit) in suas  $360^{\circ}$  divisit, Hic vero Meridianus non, ut in vulgaris

garibus, subsistit, sed simul cum Sole movetur; Hunc in finem: quo non tantum accurate doceri queat motus verus diurnus, qui consilit in accessu & recessu centri Solaris, in Meridiano existentis, ad punctum subiectum (vi præsuppositæ Hypotheseos) globi terrestris supra vel infra datum Horizontem: Sed etiam quo omnia reliqua exinde derivata monstrari possint; exempli causa tota Horologiorum doctrina; & in specie illud horam diei duodecimam cum Sole, in Meridiano existente, semper coincidere. Quæ omnia, si Meridianus ille immobilis esset, vel simul cum terra moveretur, ita fieri non possent, quemadmodum illud à quovis, ex ipso instrumenti usu, facillimè animadverti poterit.

## §. 4.

Antedicto Meridiano applicati etiam sunt adhuc alii duo circuli; quorum alter, minor nempe, in 24. partes æquales divisus est, quæ horas vulgares naturalis diei, à duodecima ad duodecimam bis circumcirca numerataim continent, has index, in axe globi terrestris ad Polum Arcticum hærens, simulq; cum terra circumiens, indicat. Alter vero paulò major & latior, in duas & triginta partes æquales divisus est, quæ totidem mundi plagas vel ventos indicant, hic in Meridiani parte boreali & opposita Australi affixus, ab hora duodecima ad duodecimam, sicut & minor, cum Meridiano circumportatur. Hoc tamen

cum discriuinine ; quod minor semper fixus maneat, major verò secundum cuiusvis beneplacitum vel retineri, vel, si quis eodem u. noluerit, adem facile removere possit. Quoniam autem istæ mundi & ventorum plagæ, præter octo tantum cardinales, Solis literis aliquot indicantur, & exaratae extant, nomina eorundem ejus rei non adeò gnarus in sequenti figura, Germanica denominatione, videre potest.

Potest etiam circulus ille, quemadmodin hoc globi parallelo situ Æquatorem & Horizontem simul indicat, ita semper loco Horizontis subsistentis, & fixi, vel cum Meridiano tantum moti, adhiberi, & secundum cuiusvis loci latitudinem applicatus, in æneo Meridiano gradus elevationis Poli determinare potest. Quod fortassis in sequenti capite pluribus docebimus.

## §. 5.

Adjecit, ad pedamenti circulum latum, latam quædam Zonam vel fasciam, in cuius medio linea quædam exarata, cui affixus est circulus, qui in suas  $360^{\circ}$  est divisus, deinde etiam in duodecim partes æquales, ita ut cuivis duodecimæ, triginta gradus adnumerentur, omnibus etiam partibus adscriptæ sint suæ denominationes. Tantum autem angulum hujus medius fasciæ circulus cum ora pedamenti constituere debet, quanta est Solis ab Æquinoctiali maxima declinatio, nempe  $23.30'$ ; & hoc quidem propterea, quoniam iste margo in §. 1. cum Æquatore coincidit. Fascia

scia vel Zona illa notabit nobis immobilem & instellatum Zodiacum, Eclipticamque, tanquam Solis cursum, cum duodecim suis signis  $\text{V}$   $\text{X}$   $\text{II}$   $\text{III}$   $\text{IV}$   $\text{V}$   $\text{VI}$   $\text{VII}$   $\text{VIII}$   $\text{IX}$   $\text{X}$   $\text{XI}$   $\text{XII}$  & adscriptis cuiusvis gradibus; quemadmodum nobis illa omnia in primo mobili (hic vero in §. 8. cap. I. immobili) supra stellarum fixarum sphæram imaginamur.

## §. 6.

Intra dictam Zonam immobilem duos alios circulos constituit mobiles, quorum inferior figuram Lunæ, superior vero Solis, SSS per Zodiacum ab uno signo ad alterum transfert, ex  $\text{V}$  videlicet in  $\text{V}$  ex  $\text{V}$  in  $\text{II}$  &c. uterq; certo quodam tempore figuram istam movet ab uno cœli punto ad alterum, ab una stella ad alteram, cumq; iisdem statu tempore vicissim unit, ille videlicet inferior Lunam intra  $20^\circ$ , cum dīnicio, dies, hic vero intra annum vel  $365$ . dies & sex horas. Ita ut ille Lunæ cursum, quemadmodum se ad cœlum vel etiam Zodiacum, in relatione ad centrum ejus habet, repræsentet, hic vero Solis imaginem gestans, Solis cursum ostendat: Et quidem secundum longitudinem ad Eclipticam relatam, juxta quam motus ille circa Zodiaci axem absolvitur. Si quidem sic dictus motus latitudinarius Lunæ ab Ecliptica hic non monstratur (Solis vero latitudinem ab Ecliptica ostendere non est opus, quia nullam admittit, sed semper directe sub Ecliptica manet, inde non immerito Solis via dici potest.

## §. 7.

Circulum superiorem, Solis figuram portantem vicissim in  $29 \frac{1}{2}$  partes æquales divisit, quæ nil aliud sunt, quam dies, quos Luna à Sole recedens ad eundemq; rediens cursu suo consumit. Deinde etiam in eodem circulo veterum Astronomorum usitatos aspectus, (ut vocant) quos Luna ad Solem in cursu suo tenet, quemvis loco suo adscriptis. Hoc sc. ordine: proxime ad Solem & à dextra & à læva parte extat aspectus;

ad $6^{\circ}$ .	*	Sextilis.	Deinde.
ad $9^{\circ}$ .	□	Quadratus.	
ad $12^{\circ}$ .	△	Trigonus.	
ad $18^{\circ}$ .	♂	Oppositus.	
ad $0^{\circ}$ .	♂	Conjunctus.	

ita, ut statim ex circulo Lunari & dies recessus, à conjunctione vel ætas Lunæ, & aspectus etiam in Solari circulo annotati, animadverti possint. In □ videlicet à dextra & sinistra Solis quadrantes Lunæ, à dextra primum, à sinistra ultimum: in ♂ plenilunium, & tandem in ♂ Novilunium.

## §. 8.

Tandem etiam pedamenti marginem latū ære obduxit, eidemq; duos insculpsit circulos diversos, ita ut interior divisus sit, primò in duodecim partes æquales, quibus adscriptæ sunt figuræ, duodecim signorum

Zodia-

Zodiaci, cum cuiusvis nomine, deinde quævis duodecimarum vicissim in suas triginta partes æquales. ut ita totus circulus in suas 360. sectus præsentetur. Exterior verò duodecim menses cum cuiusq; diebus, in unà summa 365. denominat & ostendit. Ut adeò exinde appareat, oram istam nil aliud esse, quàm, in globis vulgaribus tām cœlestib; quām terrestrib; consuetum, Calendarium perpetuum; Principia v & = huius marginis & Zonæ istius latæ ex §. 5. coincidere debent.

§. 9.

Ex hisce facile cuivis apparent, Machinam hanc Astronomico- Geographicam esse automatum & Horologium, quod motum diurnum, §. 4. cap. 1. qui 24. horarum spatio absolvitur, in terra, annum verò, Soli & Lunæ proprium, secundum longitudinem, cum aliis exinde productis accidentibus, ostendit. Quomodo verò & quâ ratione quilibet hæc omnia ipsem et cognoscere & notare possit, sequentia docebunt.

**C A P U T III.**

De

**U s u & utilitate Instrumenti.**

§. 1.

**I**lle, qui instrumento jam explicato rectè uti cupit; vel ipse id dirigere sciat, vel ab alio ad certum tempus

pus constitui faciat, quò postea perpetuò illud secundùm istam directionem usurpare, & post octidianum decursum vicissim intendere queat; hoc solum observato; ut si forte per lenitatem auræ cursum cœlestem nonnihil anticipaverit, ad rectitudinem revocetur.

## §. 2.

Ut autem rectè, disponi queat instrumentum, primò cognitus sit oportet situs & locus Solis, quem in cœlestis Zodiaci quodam signo & aliquo ejusdem gradu obtinet, & quidem eodem die, ad quem instrumentum dirigitur; Deinde etiam addiscendus est locus Lunæ ad eundem diem; Tertio, quia Astronomorum cœlestium corporum computatio ad Meridiem instituta est, ad idem etiam tempus Horologium est ordinandum, quo motus eorundem accuratius ostendatur.

## §. 3.

Si ergo constituere cupis Horologium, quare, (quod optimum est) locum Solis & Lunæ ad datum diem in Ephemeridibus Astronomorum, in quibus Planetarum cursus ad cuiusvis diei Meridiem vel mediam noctem computatus est: Vel, quia tales Ephemerides non cuivis ad manus sunt, in vulgaribus saltē Calendariis quæras, quæ omnium penè Planatarum cursum, si non ad singulos, ad plurimos tamen dies continent. Ubi, si Arithmetices parum gnarus fueris,

fueris, inter duos dies cognitos, partem proportionalem facile invenies, hoc modo argumentando: Si Sol vel Luna intra tot vel tot, e. g. 10. dies, tot vel tot gradus (minuta in hoc opere minori observare non possumus) absolvit, & proinde in hoc vel illo hujus signi gradu existit, quot gradus absolvet tot vel tot e. g. 2. vel 3. vel pluribus diebus, & in quo gradu existet? vel etiam expectare potes talem diem, in quem cursus annotatus extat. Vel si in Calendario tuo solius Lunæ, non verò simul reliquorum Planetarum cursus, & speciatim etiā Solis annotatus est, expectandus erit quidam Lunæ ad Solem Aspectus §. 7. c. 2. indicatus, vindendum etiam in quo signo & in quo eisdem gradu Luna existat, quo invento, tot gradus à Lunæ loco retrò numerandi sunt in circulo, §. 5. c. 2. latæ fasciæ affixo, (qui aspectum istum continet) & hic erit locus Solis. Vel etiam facilius: (quod nempe Solis cursum attinet, Lunæ enim facile in dictis Calendariis invenies) quære diem, ad quem instrumentum disponere cupis, in ænei marginis extremo circulo, & statim interior ostendet, in quo signo & eisdem gradu ad eundem diem Sol existat.

## §. 4.

Inventis nunc, in Zodiaci signis & gradibus, locis Solis & Lunæ, figura eorundem, cum circulis suis portatoribus, §. 6. & 7. c. 2. indicatis, ducantur singulæ ad suum gradum Zonæ cum duodecim signis §. 5.

C

c. 2.

c. 2. insculptum, ita, ut quælibet cum centro suo in dicto loco persistat. Deinde ducatur æneus Meridianus §. 3. c. 2. ad figuram Solarem, ita ut centrum Solis latèri, cui  $360^\circ$  insculpti sunt, immineat, vel, ut stylus ex centro Solis prominens in illud latus incidat. Postea circumrotetur globus terrestris, §. 1. c. 2. donec locus, ubi instrumento uteris, e. g. Francofurtum ad Moenum, Parisii, Roma &c. directè indicato Meridiani lateri substet. Tum etiam collocetur index horarius suprà Polum Borealem ad horam duodecimam, versus Solem respicientem; Tandem intendatur instrumentum, & hoc modo, prout requiritur, dispositum erit; poteruntque mediantibus rotis istis versatilibus singulis octo diebus intensis, præter alias multas, etiam sequentes propositiones resolvi.

PROPOSITIO I.

*Cujusvis loci elevationem Poli, vel latitudinem ab Äquatore invenire.*

**Q**uære locum, cuius elevationem Poli vellatitudinem (sunt enim inter se semper æquales) addiscere cupis, in globo terrestri §. 1. c. 2. vel si hunc, propter angustiam spatii, annotatum non invenis, proxime adjacentem assume. Duc eundem sub Meridianum, & observa, quem gradum ex  $360^\circ$  in latere diviso centrum circelli, locum denotantis, absindat; Et numera

ra ab Äquatore, vel in Meridiano ab initio quadrantis  
illius nempe, qui cum Äquatore idem principium, &  
cum Polo, versus quem locus datus situs est, cundem  
terminum habet) usq; ad gradum, quem locus deter-  
minat, & habebitur quæsita poli elevatio vel ab Äqua-  
tore latitudo. E. g. Si Francofurtum ad Moenum, Ro-  
ma, Lutetia, cum locis suis proxime adjacentibus, &  
in globo terrestri non annotatis, ducatur subMeridia-  
num, apparet, Francofurtum (si ab Äquatore in Meri-  
diano numeretur, versus Polum illum, quem locus di-  
ctus respicit)  $5^{\circ}$ . & quod excedit, absindere, Romam  
verò in Italia,  $41^{\circ}$ . & ultra, & Lutetiam in Gallia  $48^{\circ}$ .  
& quod adhuc addendum, indicare. Dico proinde,  
latitudinem, vel elevationem Poli in Francofurto esse,  
 $50^{\circ}$ . & amplius, in Romaverò  $41^{\circ}$ . & ultra, & Lutetiae  $48^{\circ}$ .  
& ultra Q. E. F.

---

## PROPOSITIO II.

*Circulum æneum subtilem, Horizontis indica-  
torem, §. 2. c. 2 aptè, secundum Poli inventam eleva-  
tionem, apponere.*

**E**xistente iam loco dato sub Meridiano, & cognita  
Poli elevatione, assūme circulum §. 2. c. 2. nume-  
ra in Meridiano æneo à loci dato puncto ad utrumq;  
latus  $90.$  gradus, & ita circulum circa globum terre-  
strem

Item applica, ut versus utramq; plagam numeratis  
90. gradibus æqualis sit, & erit loci dati & inventæ ele-  
vationis Poli quæsitus Horizon, e.g. inventa jam est ex  
proposit, i. cap. 3. trium locorum elevatio Poli (his  
enim, quia omnium eadem est operatio, in sequenti-  
bus inhærebimus) existentibus ergò locis istis sub Me-  
ridiano, assumo circulum æneum, deinde à puncto, in  
Meridianoper locum datum notato, ad utrumq; latus  
numero 90. & ita à Francofurto, sub 50. Meridiani gra-  
du, versus Boream numeratis, usq; ad Polum Borealem  
40. post Polum adhuc 50. addo, ut sint 90. Similiter ver-  
sus Austrum, à Francofurto ad Äquatorem numero  
50. quibus addo adhuc 40. ultra æquinoctiale, & erunt  
90. Ex puncto Romæ numero 49. usq; ad Polum Ar-  
cticum, quibus adhuc 41. addo, & erunt 90. Similiter  
usq; ad Äquatorem jam tum cognitos 41, & addo 49.  
qui collecti in summam, dabunt vicissim 90. Ex pun-  
cto Lutetiæ usq; ad Polum Borealem 42, post Polum  
48, & ita 90. usq; ad Äquinoctiale 48. quibus adjicio  
adhuc 41. ut sint 90. Hisce peractis, applico circulum  
circa globum terrenum, ita, ut notæ 50. in Meridiano  
supra Äquatorem, & 40. in altero semicirculo opposi-  
to infra Äquatorem adscriptæ æquales arcus faciant,  
& indicabitur Horizon Francofurtensis: similiter si ita  
applicem, ut notæ 41. (à Polo Arctico numeratæ) su-  
pra Äquatorem & 49. (ab Äquatore numeratæ) infra  
eundi æquales faciant arcus, habebo Romanum Hor-  
izontem,

zontem. Quod idem est, si notæ  $48^{\circ}$ . &  $42^{\circ}$ . æquales ab Äquatore arcus notent. Tunc enim habebitur Horizon Parisiensis. Q. E. F.

### PROPOSITIO III.

*Cognito loci Horizonte, elevationem Äquatoris supra eundem addiscere.*

Inventa nunc loci cuiusdam elevatione Poli, & applicato Horizonte æneo, secundum Propos. præced. vel etiam affixo ad Meridianum circulo latiori, qui mundi plagas §. 4. c. 2. monstrat, ad eundem situm, ut sicut tunc, ita quovis momento constitutionē Horizontis in Meridie loci sui ad Meridianum æneum ostendat. Numerabis in Meridie, loco sub Meridiano existente, à subtili illo circulo, Horizontem designante; vel etiam quovis tempore à latiori illo circulo, Meridiano ad eundem cum subtiliori situm affixo, & quidem ab ejus puncto, quod proxime accedit ad suum Polum vel Zenith (hoc enim indicatur per locum sub Meridiano stantem, vel etiam per gradum Meridiani, à loco determinatum, & facile Nadir oppositum eidem invenitur, si nempe à Zenith in Meridiano numerentur  $180^{\circ}$ ) usq; ad Äquatorem, vel etiam à loco dato usq; ad Polum proximum, & habebis numerum graduum, quot Äquator supra datum Horizontem elevatus sit. e. g. Quoniam Francofurtensis Horizon circa globum terrestrem applicatus est, juxta propos.

2. hujus cap. ita ut Francofurtum sub Meridiano existens, ab una parte  $5^{\circ}$ . ab altera verò  $40^{\circ}$ . indicet, (quod idem etiam latus ille circulus Meridiano affixus facit) proinde numero, incipiendo à lato quidem circulo, omni tempore, à tenui verò solo Meridiano, usq; ad Äquatorem, & invenio in Meridiano distantiam  $40^{\circ}$ ; dico proinde Francofurtum Äquatorem  $40^{\circ}$ . elevatum habere. Q. E. Obs. Eadem etiam ratione, si Horizon-tem Romanum vel Parisiensem justè posuero, invenio supra illum  $49^{\circ}$ , supra hunc verò  $42^{\circ}$ . Äquatorem elevatum, & sic in ceteris.



#### PROPOSITIO IV.

*Longitudinem loci, vel distantiam à primo Me-  
ridiano versus Orientem indicare.*

**O**bserva quem graduin Meridianus æneus, supra locum datum existens, in Äquatore secet; ab hac Meridiani sectione in Äquinoctiali numera usq; ad primum & primarium Meridianum, qui hoc in globo transit insulas Flandricas, & Promontorium viride, *Cabo Verde* dictum, præterit, duplicatisq; lineis diuidia parte in gradus divisis designatur, quò facile à ceteris dignosci possit, habebis desiderata in loco longitudem. e. g. Si Francofurtum, Roma, Lutetia &c. sub Meridiano existat, absconditur in Äquatore  $40^{\circ}$ ,  $49^{\circ}$ ,  $38^{\circ}$ , à primario incipiendo Meridiano, numeratus

tus gradus : Inventa ergò erit locorum dictorum quæsita longitudo : Dico proinde, Francofurti longitudinem esse  $40^{\circ}$ , Romæ  $49^{\circ}$ , Parisiorum verò  $38^{\circ}$ .



### PROPOSITIO V.

*Distantiam unius loci ab altero, in linea recta computatam, invenire.*

Cape mediante circino vel filo distantiam unius loci ab altero, & transfer illam ad Meridianum vel Æquatorem, & vide quot gradus in hoc circulo absolvat, & habebis, quot gradibus inter se distent. Quod si gradus in 15. duxeris, habebis distantiam in miliaribus secundum lineam rectam. e. g. Si alterum circini crus collocem in centro circelli, Francofurtum denotantis, alterum verò extendam ad usq; Romam vel Lutetiam denotans, & distantiam istam ad Æquatorem transferam, invenio inter Francofurtum & Lutetiam  $\frac{5}{6}$ , inter Francofurtum verò & Romam  $\frac{9}{10}$ . quod si gradus inventos per 15. multiplicem, provenient pro priori distantia 75. pro posteriori verò 135. Dico igitur, Parisios à Francofurto in linea recta distare 75 milliaribus, Romam verò 135. Q. E. F.

PRO-

## PROPOSITIO VI.

*Locum Solis & Lunæ in Zodiaco secundum longitudinem observare, & in quo signo & gradu, ad quemcunq; diem, pro lubitu datum, currant, determinare.*

**O**bserva tantum, in duobus circulis §. 6. c. 2. ubi Solis & Lunæ imagines ad desideratum tempus existant, & ostendent tibi non tantum in quo signo, sed & in quo signi gradu in Zodiaco immobili §. 5 c. 2. sint, qui gradus vel ipse numerum suum adscriptum habebit, vel ab altero facile numerari poterit. E. g. Cupio scire, in quo cœli puncto Sol & Luna, ad diem 20. Januarii St. V. & 30. St. N. anni currentis 1671. inter horam 4. & 5. pomeridianam, Francfurti inveniantur: Observans duos circulos dictos, & in iisdem Solis & Lunæ figuræ, invenio, Solem centro suo, in Zodiaco, signum Aquarii, & quidem ejusdem 11. indicare, Lunam verò & ejusdem 9. Dico proinde, Solem Francfurti dicto die 20. Januarii St. V. & 30. St. N. inter horam 4. & 5. pomerid. in cœlo existere in 11. ≈, Lunam verò eodem tempore in 9. ≈.

## PROPOSITIO VII.

*Solis & Lunæ situm Australēm & Borealem, respectu Äquatoris, ut & ascensum & descensum eorumdem dignoscere.*

**Q**uando Sol vel Luna (hæc enim sæpiùs in anno Zodiacum absolvit, & ita sæpiùs etiam & facilius obser-

observari potest) in illis Zodiaci signis existit, quæ supra pedamenti marginem latum §. 1. & 8. c. 2. in Zona §. 5. c. 2. eminent, Septentrionales vel Boreales sunt, quando verò in illis inveniuntur signis, quæ infra pedamenti marginem latent, Australes dicuntur. Deinde si in illo Zodiaci dimidio currunt, quod affixum est pedamenti circulo, ubi signum  $\nu$  extat, & consequenter in sequentibus sex signis,  $\zeta \omega \chi \nu \gamma \pi$ , ascendunt, quia versus Polum Arcticum elevantur; Sin verò in opposito dimidio, & consequenter in hisce sex signis inveniuntur, nempe  $\pi \rho \eta \alpha \tau \mu \varphi$  descendunt, quia versus Polum Antarcticum declinant. Quoniam nunc per Prop. 6. Solis & Lunæ locum in Zodiaco inveni & indicavi, dico, Solem, illo Januarii 20. vel 30. die existentem in  $\omega$ , Meridionalem esse, & ultra Äquatorem versus Austrum in quinto Zodiaci signo inveniri, & esse simul ascendentem versus Boream in secundo ascendentium signo. Lunam verò in Australium primo existere signo, in descendantium verò quarto.



### PROPOSITIO VIII.

*Quatuor anni differentias apud nos in plaga Septentrionali, & situ Sphærae obliqua; ut & longissimum & brevissimum anni diem cum Äquinoctiis invenire.*

**V**icissim observetur Solis cursus. Si Septentrionalis vel supra Äquatorem, & quidem in ascensu D erit,

erit, & sic in signis  $\vee \gamma \pi$  dico Ver esse. In descensu  
verò & sic in  $\zeta \Omega \wp$  dico aestatem esse. Sin verò Au-  
stral is vel infra Äquatorem erit, & quidem in descen-  
su, ac proinde in  $\omega \eta \varphi$  dico autumnum esse : in  
ascensu verò, & itain  $\lambda \omega \chi$  dico esse hyemem : ita  
quidem, ut primum quodvis signum principio, se-  
cundum medio, & tertium fini adscribatur : Quando  
igitur Sol ver & autumnum inchoat, vel in principiis  
 $\vee \& \omega$  existit, Äquinoctium erit, si verò in principiis  
 $\zeta$  vel  $\lambda$  invenitur, faciet illic longissimum, hic verò  
brevissimum diem. Quemadmodum igitur Solem  
juxta Prop. 6. h.c. ad datum 20. Januar. in  $\dot{\pi}$ .  $\omega$ ,  
adeoq; Australem & ascendentem, juxta 7. Prop.  
tanquam secundo, horum trium Australium, signo,  
sub pedamenti circulo, invenimus, ita etiam juxta  
Præf. Prop. scimus, nos hoc ipso Solis situ mediā ha-  
bere hyemem. Et quoniam jam tum 41. principium  
 $\lambda$  transgressus est, & adhuc 49. usq; ad principium  
 $\vee$  restant absolvendi. Dico, nos jam ante 41, &  
quod excedit, dies, brevissimum habuisse diem, qui,  
prout dictum, contingere solet, cum Sol principium  
 $\lambda$  ingreditur; Post 50. verò dies, quo tempore Sol  
principium  $\vee$  ingredietur, Äquinoctium habituros.

### PROPOSITIO IX.

*Solis & Lunæ declinationem ab Äqui-  
noctiali invenire.*

**Q**uoniam Solis & Lunæ locus ex Prop. 6. in æneo  
Zodiaco jam cognitus est; Quare eundem etiam  
in

in Zodiaco terrestri, secundum signa & gradus diviso, inventum nota, deinde sub Meridianum æneum ducito, quo facto, numera distantiam loci ab Äquatore in Meridiano æneo, quæ erit eadem cum Solis vel Lunæ ab Äquatore declinatione quærenda. E.g. Inveni die 20. Jan. Francofurti Solem in  $11^{\circ} 22'$ . Lunam verò in  $9^{\circ} 24'$ . Quæro igitur  $11^{\circ} 22'$  &  $9^{\circ} 24'$  in Zodiaco, terrestri globo inscripto, noto eundem, & observo quem gradum sub æneo Meridiano existens, absindat, & invenio, ab Äquatore numerando,  $11^{\circ} 22'$  secare  $1^{\circ}$ ,  $9^{\circ}$  verò  $\frac{1}{2}$ , circiter  $\frac{4}{5}$ . Dico, Solem dato die ab Äquatore  $1^{\circ} 7.$  declinare, Lunam verò  $\frac{4}{5}$ . Vel, quod Solem attinet, brevius illud perfici poterit: Nota tantum, quem gradum Meridiani, ex Solis figura prominens acus, indicet, & numera ab hoc usq; ad Äquatorem, & habebis eandem Solis inveniendam declinationem ab Äquinoctiali.

### PROPOSITIO X.

*Horam Ortus & Occasus Solis  
addiscere.*

**O**bserva, quando acus, in centro Solis existens, Horizonti subtiliori §. 2. c. 2. immineat; Si locus tuus versus Meridianum adhuc movetur, matutinum erit tempus & Sol orietur. Sin verò Horizon-  
tis tui locus à Meridiano, ubi Solis figura existit, di-  
D 2 gredi-

greditur, & ad alterum latus movetur, pomeridium tempus erit, & Sol occidet. Nota ergo, qualem numerum index in circulo horario indicet, in tali Solis situ, & desideratam habebis horam. E.g. Sæpius dæto 20. Jan. observo, indicem in circulo horario numerum VII. & paulò amplius indigitare, tum, cum Francofurtum versus Meridianum movetur, & Solis centrum Horizontem ejus secat. Hinc dico, Solem dæto die, post horam VII. matutinam supra Horizontem Francofurtensem emergere. Similiter etiam, si observeam, quando dictus locus eodem die à Meridiano removeatur, & Solis centrum denuò Horizonti directè immineat, & inveniam numerum IV, & quod excedit, ab indice notari in circulo horario. Hinc dico, Solem eodem die Horizonti Francofurtensi occidere post horam quartam. Q. E. O.

### PROPOSITIO XI.

*Quot horas quæsitus dies vel nox ejus  
habeat, invenire.*

**S**I dato die Solis Ortus & Occasus juxta horas jam cognitus est, numera tantum ab illa hora, quæ Oriente Sole indicatur, usq; ad istam, quæ per Occasum notatur, & inventus numerus indicabit, quot horis Sol supra Horizontem appareat, & simul quantitatem diei. Sin verò ab illa hora, quam index in Solis Occasu indicat, usq; ad illam, quam in Ortu, numeraveris

raveris in circulo horario, habebis longitudinem noctis ad eundem diem pertinentis E.g. Quia scio, Solem dato nempe 20. Jan. die hic Francofurti, mane post horam VII. oriri, post IV. verò occidere, numero, inter utrumq; numerum Ortus, VII. nempe & Occasus IV, interjacentes nempe VII. VIII. IX. X. XI. XII. I. II. III. IV. & paulo amplius, & invenio novem, cum excessu quodam; Hinc dico, diem istum novem horas, & quod excedit, esse longum. Deinde etiam numero in opposita plaga ab Occasus usq; ad Ortus horam, nempe IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. I. II. III. IV. V. VI. VII. & quod addendum, & invenio quatuordecim cum excessu quodam. Dico igitur, noctem illius diei esse 14. horas & amplius longam. Q. E. F. Dimidiæ etiam horæ & quadrantes, ratione excessus & defectus, in circulo horario facile observari possunt.

### PROPOSITIO XII.

*Maximam Solis & Lunæ ad datum diem, supra Horizontem elevationem, & infra eundem, depressionem invenire.*

**O**bserva, quando locus, ubi observationem insti-  
tuis, sub Meridiano æneo existat, & quidem ad  
idem latus, in quo Sol vel Luna est, ut adeò tum tem-  
poris Solem in summa supra Horizontem altitudine  
habeat, & nota quotum graduum acicula, in Solis me-  
dio

dio existens, indicet. Numera deinde ab hoc gradu in Meridiano æneo, usq; ad istum, quem Horizon absindit, & habebis maximam ejus diei supra Horizontem Solis elevationem. Quando verò locus tuus à Sole remotus sub Meridiano existit, ut medianam noctem agat, numera tantum ab eodem per Solis centrum indicato gradu sursum usq; ad Horizontem, & habebis maximam Solis eodem die sub Horizonte depressionem. Vel etiam, numera à superiori Polo, Meridiano tempore, tot gradus in Meridiano æneo versus Solem, quot locus tuus habet in elevatione Poli, & inde usq; ad gradum per centrum Solis indicatum, & habebis eandem ejusdem diei Solis maximam sub Horizonte depressionem. E. g. Si toties dicto die 20. Jan. observem, quotum gradum Solis centrum in Meridiano æneo absindat, Francofurto sub eodem existente, invenio  $17^{\circ}$ , ab Äquatore numeratum, ab hoc verò usq; ad Horizontem, in Meridiano  $40^{\circ}$ . indicantem, restant  $23^{\circ}$ , ut videri potest. Hinc dico, Solem dicto die Francfurti elevatum esse  $23^{\circ}$ . Similiter, si à superiori Boreali Polo elevationem ipsius Poli versus Solem in Meridiano, nempe  $50^{\circ}$ , numerem, & abhinc usq; ad Horizontem eodem tempore: Vel ex parte, donec Francofurtum sub Meridiani Soli opposita parte existat, & numerem sursum ab illo gradu, quem acus in Solis centro notat usq; ad Horizontem, invenio  $67^{\circ}$ , utrobique. Hinc dico, Solis dato die infra Horizontem maximā depressionem, esse  $67^{\circ}$ . Q. E. F. PRO-

**PROPOSITIO XIII.**

*Loca (sive terrestria sive marina) quibus Sol  
stato die vel tempore supra Zenith vel verticem existat  
in Meridie, indicare.*

**O**bserva tantum, quibus locis illo die spiculum ex Solis centro immineat, vel etiam quænam loca gradum, ab eodem Solis centro indicatum, transeant, illa omnia erunt, quibus Sol dicto die verticalis erit in meridie. E. g. Si die 20. Jan. observein, quænam loca Solis centro subjecta sint; vel etiam, quænam ab eodem meridi ani gradu, per Solis centrum indicato, notentur, invenio in terrestri globo Madagascar, Bandā, Mare di India &c. Dico igitur, Solem omnibus istis locis dicto die, verticalem esse, adeoq; maximum illa calorem habitura.

**PROPOSITIO XIV.**

*Quodnam Zodiaci signum, vel ejusdem etiam gradus, supra dati loci Horizontem oriantur vel inter eundem occidat, quocunq; tempore observare. Indeq; quænam Zodiaci signa supra Horizontem appareant, vel infra eundem lateant eodem tempore, indicare.*

**O**bserva tantum accurate, quantum quidem oculis fieri poterit, ubinam, dato pro lubitu tempore, subtilis Horizon æneus §. 2. c. 2. & immobilis Zodiacus §. 5. c. 2. se mutuo intersecant, & nota, quoniam Zodiaci signo notata sit intersecatio ista, & habebis desideratum

sideratum signorum Ortum & Occasum. Illum, Ortum nempe à dextris, ubi Horizon cum terra circumrotatus, ab observato in Zodiaco puncto, versus locum tuum, cuius Horizontem determinat, movetur: Hunc verò à sinistris ex opposita plaga, ubi Horizon ab observato puncto deorsum movetur, & ad hujus punctum locus tuus accedit. Ubi simul duabus observatis punctis interjacentia, & faciem tuam respicientia signa, supra Horizontem elevata, reliqua verò infra eundem latentia dices. E.g. Indicare debeo, quodnam die 24. Jan. St. V. Zodiaci signum, supra Francofurtensem Horizontem hora 10. matutina oriatur, & quodnam ex opposita plaga occidat, indeq; quænam supra vel infra eundem existant signa. Observo autem, dicto die secundum Francofurtensem Poli elevationem applicatum æneum Horizontem mobilem, in immobili Zodiaco secare  $\nu$ , & quidem à dextra parte, ubi versus locum meum nempe Francofurtum accedit, adeoq; notant Ortum. Ex opposita verò sinistra parte  $\text{w}$ , ubi Horizon faciem meam accedit, adeoq; Occasum indicat, ita quidem ut ultimos tantum signi gradus  $10^{\circ}$ . circiter vel  $5^{\circ}$ . sicut illic ita & hic absindat: Inter utrumq; intersectionis punctum vel terminum & quidem supra Horizontem versus faciem meam interjacent maxima pars  $\nu$  deinde  $\text{x} \approx \text{z} \approx \text{m}$  & minima pars  $\text{w}$ , infra eundem verò, maxima pars  $\text{w}$ , tota  $\text{w} \text{ q } \text{z} \text{ m}$  & minima pars  $\nu$ . Hinc dico, dato die & hora

& hora supra Francofurtanum Horizontem oriri v,  
& quidem ejusdem  $\circ$ . vel  $\circ$ . ultimos, ex opposita ve-  
rò parte infra eundem mergi secundùm eosdem  
gradus cum priori signo. Apparent ergo supra Hor-  
izontem tum temporis maxima pars v toti  $\propto \approx 1 \frac{1}{2}$   
 $\text{m}$ , & minima pars  $\approx$ . Verùm infra eundem latent,  
maxima pars  $\approx$ , tota  $\text{m} \text{ } \text{m} \text{ } \text{m}$ , & minima  
pars v.



## PROPOSITIO XV.

*Ex cognito Solis loco, tempus, mensem  
videlicet & diem indicare.*

**S**i jam Solis locus in Zodiaco, secundùm 6. Prop.  
Inventus est, idem etiam signum in Zodiaco inven-  
tum quære in æneo margine pedamenti §. 8. c. 2. &  
statim invenies, quinam mensis huic signo attribua-  
tur. In eodem deinde signo quære gradum, in quo  
Sol in Zodiaco hæret; Et in secunda circulorū divisio-  
ne, diem, ad hunc gradum pertinente, adscriptum  
invenies. Hoc tantum observato, ut, si annus sit bis-  
sextilis, semper 28. Februarii annotatis diebus, ad-  
huc unum superaddas. E. g. Cupio scire, quemnam  
anni mensem & diem habeamus, quando Sol, juxta  
Francofurtensem Poli elevationem ejusdemq; appli-  
catum Horizontem dispositum instrumentum, in  $\circ$ .  
 $\text{m}$  inveniatur. Quæro igitur  $\approx$  in ora latiori peda-  
menti

menti, & invenio adscriptum mensem Februarium St. N. & Januarium St. V. Deinde quæro etiam in eodem signo  $15^{\circ}$ , & observo in altera circuli divisione diem annotatum, & invenio in Febr. 4. in Jan. verò 25. Dico proinde, Sole in  $15^{\circ}$  existente, nos habere illius anni 25. Jan. St. V. & 4. Febr. St. N. Q. E. I.



### PROPOSITIO XVI.

*Cujuscunq; temporis horas vulgares, num antemeridiana an verò pomeridiana & quoē sint, non tantū sub illa Poli elevatione, ad quam instrumentum dispositum est, sed & quacunq; cujuscunq; loci determinare, & inter se conferre.*

**Q**uod locum illum attinet, ad quem instrumentum ordinatum est, illud inventu facilium. Nam observetur tantum index horarius ad Polum Arcticum affixus, & simul cum globo terrestri circumductus, ille ostendet desideratam cuiuslibet temporis horam. Num autem illa sit hora pomeridiana num antemeridiana, illud etiam sine difficultate addisci poterit. Si quidem, si locus tuus versus meridianum, ubi Solis imago existiti, moveatur, adeoq; etiam simul index versus horam 12, Solem respiciente, erit hora matutina. Sin verò locus datus ab illa parte digreditur & index ab hora 12. hora erit pomeridiana. Si verò alterius loci horam addiscere cupis:

1. Velita, ut conferas cum hora illius loci, in quo eodem

eodem tempore, quo horam quæris, meridies erit. Observa supra quem locum Meridianus & simul corpus solare existat (semper enim hæc duo conjuncta moveri solent) & ibid, erit hora XII. meridiana, opposita meridiani pars indicabit in illis locis, ubi verticem obtinet, horam XII. mediæ noctis. Numerā deinde à Meridiano toties  $1^{\circ}$ . in Aequatore, quoties poteris usq; ad istum locum, ubi horam scire desideras. Et licet locus, à quo numeras, præcisè sub Aequatore situs non sit, tamen Meridianus in globo designatus locoq; proximus per Aequatorem transiens facile, & quantum hic sufficere poterit, ad oculum ostendet, quinam Aequatoris gradus simul sub æneo Meridiano existat: Vela etiam à Polo per locum tuum usq; ad Aequatorem filum applicare potes, quod eundem gradum ostendet. Scito igitur, quoties  $1^{\circ}$ . à loco tuo sub Meridiano existente usq; ad alterum, ubi horam scire cupis, invenies, toties horam numerabis à Meridie vel hora 12. in circulo horario. Hoc simul observato, ut, si locus tuus, cuius horam scire & cum prioris Meridiana conferre cupis, à sinistris vel versus Occasum situs sit, etiam versus eandem plagam in circulo horario ab hora XII. tot numeres horas, quoties  $1^{\circ}$ . invenisti in Aequatore ab illo loco usq; ad hunc. Sin vero versus alteram Solis & Meridiani plagam vel Ortum situs sit, in eandem etiam plagam ab hora XII. numeres, ita quidem, ut has, versus ortum nempè numerat.

tas horas ante meridianas, illas vero à dextris neimpè pomeridianas dicas.

2. Vel ita etiam, ut horas aliorum locorum cum loci tui jam cognita non Meridiana conferas & easdem cognoscas. Numera pari ratione, à loci tui jam ex 4. Prop. cognita longitudine, in Äquatore, quemadmodum jam ante monstratum, usq; ad longitudinem alterius loci, ubi horam scire desideras; & quoties  $\frac{1}{5}$ . invenies, toties numera unam horam in circulo horario, ab illa hora incipiendo, quam index loci tui indicat, versus illam plagam, versus quam  $\frac{1}{5}$ . numerasti, & habebis quæsitam loci horam, quæ num ante meridiana, num vero pomeridiana sit, ex antea dictis addisci poterit. E. g. Inveniam eodem tempore, quinam sit Solis in cœlo situs, & quæta sit hora in Insula Japoniæ, Lutetiaæ, Francofurti & Romæ, & ostendit index in circulo horario, hic Francofurti, ad cuius Poli elevationem instrumentum ordinatum est, esse horam VIII. & quidem (quoniam Francofurtum à Meridiano, & simul index ab hora XII. ad Solem respi- ciente, digreditur) pomeridianam. Si itaq; data loca conferre velim cum talibus, quæ hoc ipso momento meridiem agunt, (qualia hic sunt, in America Septen- trionali, Mexicum, Nisconæ &c. quia Meridianus & Solis imago ipsorum vertici directè imminet) Nu- mero ab hisce usque ad illa in Äquatore semper  $\frac{1}{5}$ . to- ties, quoties interfacent, & invenio à Mexico usque ad

ad Japoniam versus plagam Orientalem septies  $\frac{1}{5}$ , numero itaque in circulo horario ab hora XII. ad Solem respiciente, versus eandem plagam, tot etiam horas, & invenio quintam.

A Mexico verò usque Lutetiam, versus Occasum numerando, invenio septies cum semisse  $\frac{1}{5}$ , tot igitur numero horas à XII. versus eandē plagam, & erit VII. &  $\frac{1}{2}$ . A Mexico usque ad Romam, in eadem cum Parisiis plaga, sunt VIIIIties & ultra  $\frac{1}{5}$ . tot ergo in eadem plaga numeratis à XII. horis, invenio VIII. cum excessu quodam. Hinc dico: Quando in Mexico &c. est Meridiana hora XII. tunc in Japonia est hora VII. matutina; Lutetiae VII. cum  $\frac{1}{2}$ . vespertina; Romæ VIII. & ultra etiam pomeridiana.

Sin verò locorum datorum horas conferre velim cum nostra, quam Francofurti inveni, numero ab hinc usq; ad Joponiam versus sinistram XIIIIties  $\frac{1}{5}$ . usque ad Parisios verò etiam versus sinistram loci mei semissem  $\frac{1}{5}$ . usque ad Romanam tandem versus dextram loci mei etiam semissem  $\frac{1}{5}$ . Numero itaque juxta cujusque loci inventos gradus versus eandem plagam, versus quam, in respectu loci mei gradus numerabantur, in circulo horario horas incipiendo ab hora loci mei, nempe Francofurti, per indicem indicata, quæ erat VIII. & invenio pro Japonia, sicut ante, horam VII. ante meridianam, pro Lutetia

semissem ante VIII. pomeridianam, pro Roma vero semissem circiter post VIII. pomeridianam. Dico igitur eodem momento, quo Francofurti erit hora VIII. pomeridiana, fore in Japonia VII. matutinam, Parisiis semissem circiter ante VIII. pomeridianam, Romae vero semissem post VIII. pomeridianam. Et sic inventa erit datorum locorum eodem temporis momento & Solis in cœlo situ desiderata in tempore & hora vulgari convenientia & collatio.

### PROPOSITIO XVII.

*Ad quam plagam, locus datus, & hujus respectu, aliis situs sit, observare.*

**O**bserva quando locus tuus Meridianum appellatur, & assume circulum illum æneum latum §. 4. c. 2. & applica ad Meridianum ad utrumque latus in eodem gradu, quem Horizon tuus indicat, ita ut cum illo coincidat. Deinde respice in loco tuo versus alterum, & statim observabis ad quam plagam situs sit in respectu loci dati. Veletiam à loco tuo per datum alterum, usque ad circulum æneum antedictum, duc circulum vel filum, & statim sine difficultate quæsitam plagam, in circulo notatam, legere & indicare poteris. E. g. Scire cupio, versus quam plagam, in respectu ad Francofurtum, Insula

sula Cuba, Constantinopolis, Smolensko &c. sita  
sint. Proinde si circulum æneum jam indicatum,  
Francofurto sub Meridiano existente, applicem ad  
eundem utriusque lateris gradum, quem Franco-  
furtensis Horizon indicat, nempe  $50^{\circ}$  à Polo Boreali,  
in facie à Sole aversa, &  $40^{\circ}$  ab Æquatore versus eun-  
dem numeratum, & obseruem vel etiam filum du-  
cam Francofurto per loca dicta usque ad circum-  
æneum, apparebit, Cubam sitam esse versus plagam.  
W.N.W. dictam. Constantinopolim verò ver-  
sus Zuyt Ost, & Smolensko versus O. N. O. Dico  
proinde, Insulam Cubam à Francofurto dissitam  
esse West Nord West / Constantinopolim Zuyt Ost,  
Smolensko verò Ost Nord Ost. Siquidem annotata  
plagarum nomina Solis literis, ut in §. 5.c. 2. figura,  
signantur. Si quæ præterea tam in præcedentibus  
quam sequentibus propositionibus annotanda sunt,  
poterit illa quivis diligenti & crebro exercitio  
facilius, quam ex longaverborum enumera-  
ratione addiscere.



PRO-

## PROPOSITIO XVIII.

*Ortum & Occasum Lunæ quoad horas pene,  
indeq; quamdiu supra Horizontem, quamdiu infra eundem  
movetur, indicare.*

**R**espice tantum figuram Lunarem, & observa, quando Horizon tuus cum illa facie, in qua locus tuus non est situs, ad eandem pervenit, & tunc orientur. Quando verò cum altera facie, in qua locus tuus annotatus est, sub eadem existit, tunc occidet. Nota deinde quænam horæ in circulo horario, ab hisce Horizontis & Lunæ conjunctionibus indicentur: Quo facto, facilè ab uno termino ad alterum interjacentes numeros numerare, & ex illis moram Lunæ supra & infra Horizontem in horis pene indicare poteris. (Dicitur penè, qua latitudo Lunæ, vel ejus digressio ab Ecliptica, hic non ostenditur & exercetur) E. g. Quæram, quando hic Francofurti die 25. Januarii Anno 1671. St. V. Luna oriatur & occidat, ut & quam diu supra Horizontem appareat, & quam diu infra eundem lateat. Video autem, tum, cum Horizontis Francofurtensis illa facies, in qua dicta urbs annotata non est, cum Luna coniungitur, ut ita oriatur, in circulo horario monstrari horam X. cum verò Horizon cum illa facie, in qua Francofurtum existit, Lunam attingit, ut Sol occidat, indi-

indicem in circulo horario XI. indicare. Jam si hisce duobus punctis interjacentes numeros legam, inventio ab Ortu ad Occasum illos X. XI. XII. I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. adeoque XII. horas; Deinde ab Occasu usque ad Ortum sequentes, XI. XII. I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. illuc igitur moram supra, hic verò infra Horizontem in horis habebo. Ergo dico, Lunam dicto die supra Horizontem Francofurtanum oriri post horam X. matutinam, (hanc enim matutinam esse, manifestum est ex Proposit. 16.) & occidere hora XI. pomeridiana. Adeoque supra Horizontem apparere XII. horas, & infra eundem itidem XII. latere. Q. E. J.



### PROPOSITIO XIX.

*Luna diem & etatem à Conjunctione cum*

*Sole, ut & Aspectus & Phases ejusdem  
invenire.*

Et hæc Propositio facillima; Si enim cognitum habebis locum figuræ Lunaris; Illa tibi simul etiam indicabit (quemadmodum in Prop. 6. factum,) tum signum & gradū ejusdem in Zodiaco, tum etiam adscriptum in circulo Solis figuram gestante §. 6. & 7. c. 2. numerum dierū, à & cum Sole vel Novilunio præterlapsorum, ut & Aspectum & Phasem suam erga Solem, si scil. sit aliquis ex præcipuis supra annotatis, à dextra

aut sinistra Solis parte. E. g. Quarām ad diem 25. Januarii St. V. Anno 1671. post meridiem, àtatem & aspectum Lunæ ; Respicio igitur figuram ejus, & invenio, eandem situ suo, in circulo Solem gestante, indicare 25. diem post conjunctionem vel Novilunium, & simul \* ad Solem accendentem. Hinc dico, àtatem Lunæ 25. diem esse, Phasim verò & Aspectum Sextilem. Q. E. J.



### PROPOSITIO XX.

*Quando Novi- vel Plenilunium futurum sit,  
at & num primus vel postremus quadrans sit, in quonam Luna  
existat, vel quodnam aggrediatur. quot dies ab hoc  
præterlapsi vel ad illud ressent,  
addiscere.*

**R**Espice vicissim Lunæ figuram, & observa, quo in loco circuli Solaris inveniatur : Si conjuncta erit cum Sole sub Meridiano, habebis Novilunium, si verò sub opposita Meridiani parte videbis è regione Solis, erit oppositio, adeoque Plenilunium. Itidem si prope à ☐ invenitur, habebis quadrantes, à dextris primum, ubi Luna à Sole digreditur, à sinistris, ubi vicepsim eundem aggreditur, ultimum. Si verò alio in loco, & quidem jam denominatis interacente, invenitur, ab uno horum removetur, & ad alterum proxime sequentein accedit, poteris dies ab unoloco ad alte-

alterum in circulo Solari facile numerare. E. g. Secundum propositionem praesentem examinabo diem 25. Januarii St. V. Quæro igitur Lunam, & invenio eandem neque in  $\sigma$ , neque  $\vartheta$ , neque in  $\square$ , sed (quod iam ex præced. Prop. cognitum est) in \* respectu Solis, adeoque inter  $\square$  &  $\sigma$  versus sinistram ad Solem accedente. Dico igitur, Lunam à  $\square$  & ultimo quadrante removeri, & ad  $\sigma$  seu Noyilunium properare, & fuisse iam ante duos & quod excedit, vel tertio præcedenti die, ultimum Lunæ quadrante, & abhinc quinto die fore Noyilunium.

---

### PROPOSITIO XXI.

*Loca, in quibus Novi - vel Plenilunium continget, item, quibus in regionibus Eclipsi, (sijam aliunde notum sit, eodem die quandam fore,) visibilis futura sit, observare.*

Intuere tantum Meridianum æneum, & quoniam Ijam tum ex proxime Præced. Propos. 20. cognitum habes, quando Novi - & Plenilunium futurum sit, deinde etiam ex situ Lunæ respectu Solis, ut & Calendariis vel Ephemeridibus, num simul cum illo tempore quædam Eclipse coincidat: Deinde nota loca, quæ hoc ipso tempore Meridianò æneo substent, & quidem in eadem cum Luna facie, & hæc ipsa erunt, quibus Eclipse Solaris in  $\sigma$ . Lunaris vero in  $\vartheta$  appare-

parebit. E. g. Quoniam jam ex Praeced. 20 Propos. manifestum est, quinto post 25. Januar. die futurum esse Novilunium, observa tantum, quando Luna & Sol in eodem Meridiano convenient, (ponamus autem, licet non sit, simul futuram esse Solis Eclipsin) deinde quænam loca, regiones, urbes &c. eodem tempore, eidem cum Luna Meridiani faciei subjiciantur, & habebis ubinam Eclipsis illa visibilis futura sit.

Posset etiam alia ratione, si desideraretur, institui, quo Eclipses Solis & Lunæ etiam futuræ, mediante latitudine, per sectiones prævideri possint. Poscent etiam adhuc reliqui Planetæ, nempe ☿ ♀ ♈ ♉, facile cum motibus suis adjici, & forent ita in hoc instrumento octo maxima sub firmamento corpora mobilia, quia nempe terra mobilis hic supponitur. Loco cœli stellati tantum Zodiacus in hoc instrumento affixus est, quod si tota Sphæra magis placeret, ita etiam facile adhiberi posset. Observandum etiam est, nullum in hoc opere proportionis habitum esse respectum ratione corporum ipsorum, ut & eorundem inter se distantiae, hoc enim si fieri debuisset secundum globum rerestrem adhibitum, tota domus non sufficeret, ad capiendum opus, id quod cuiusvis hujus rei gnaro per se notum erit.

§. 5.

Quoniam nunc omnes illæ recensitæ Propositiones

nes, jucundæ pariter ac utiles, mediante hoc instrumento resolvuntur, omnesque Solis, Lunæ ac terræ affectiones & Phœnomena mediantibus horum corporum speciebus ad oculum ostenduntur, imo adhuc multo plures propositiones, si brevitas & angustia temporis id permitteret, vel si à quoipiam etiam postularetur, adjici & enodari possint. Instrumentum eo ipso dignitatem, utilitatem ac pretiositatem suam satis manifestat ac prodit. Et hoc eo magis, quoniam omnes illæ propositiones sine molestia & difficultate, (quod in reliquis alias instrumentis solenne est) sponte sua fluunt ex automate & instrumenti proprio motu, proficiscunturq; ac docentur, non ab anima mundi Platonica, nec etiam à mobili perpetuo, quale Cornelium Drebbelium composuisse, refert Burggravius in Biolynchio suo, sed ab Horologii rotis versatilibus, continuis octo diebus circumcurrentibus, sine interveniente nova intentione. Quale opus olim etiam ex vitro, dicente Claudio, vel ex ære, dicente Cicerone ac Lactantio, Archytam Tarentinum perfisse scribitur.

2. Quoniam etiam hactenus tale instrumentum visum non est. Opus equidem, quod multorum cum admiratione artificiosissimus ille Automatarius Nicolaus Siebenhaar / Principi Johanni, Duci Hollsatiae & Episcopo Eutinensi antehac composuit, ab eodemque propterea mille Imperialibus donatus est, juxta

Copernici Hypothesin, terræ triplicem motum attribuentem, & M. Danielis Leichdorffii Rostochiensis descriptionem, perfectum fuit. Nostrum vero praesens & terram & stellas moveri representat.

## §. 6.

Siproinde cuiquam harum rerum studioſo & amatori placuerit praesens Horologium ſibi comparare; poterit vel ipfe autorein adire, vel per alium, honesto pretio numerato, ſibi transportari curare.

## §. 7.

Interim Summo ac Trinuni Numinis, quod cœlum, terram, mare, ſiccum ac humidum, omnesque creatureſ movet, ſicut alias promotu, per inviſibilia & per viſibilia, gloriam ſuam enarrantia, Noſtrum ad Se, ita etiam propræſenti, ſit laus & gloria ſine

F I N E.

